Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2637
Quelle:
Copyright:

lis *Philippo* et *Jacobo*, *Simone* et *Juda*, *Erasmo*, *Nicolao*, Virgine, Martyre, *Agnete*, *Agatha* vel *Dorothea*, *Matbia*, *Georgio*, *Inuentione* vel *Exaltatione Crucis*, excerptae ex Sermonibus *Socci*, *Contracti*, aliorumque, quos rude illud aevum in pulpitis admirabatur, et primi Librorum impressores frequenter prelo subjecere, nunc vero nemo, nisi antiquitatis typographicae curiosus, novit.

VII. *fol.* 197. *Incipit Tabulatura librorum et capitulorum pharetre minoris secundum ordinem alphabeti* &c. et post hunc indicem continuo absque titulo *Pharetra* ipsa inchoat, quae in Libros V. distributa nil est aliud, quam Congeries Sententiarum ex PP. depromtarum de *Deo*, *Virtutibus* et *Vitiis*; subinde tamen et *Cicero* et *Seneca* advocantur. Edita est haec *Pharetra* jam Sec. XV. *sine l. et a. f.* tacito Compilatoris nomine, qui est *Bonaventura*, cujus *Operum* T. VI. *Lugd.* 1668. ad p. 99. inserta est, sed plenior, et b. Viri *Praefatione* instructa, in qua Tituli rationem ita reddit: *Quia sicut in Pharetra iacula reponuntur, quibus hostis hostem ferit, vulnerat et dejicit, sic et hæ variæ auctoritates fide dignorum: quas si manu operationis tenemus, hostem antiquum dejiciemus.* Distinguenda porro est *Pharetra* haec *minor* a *majore*, sive *Pharetra Doctorum*, quae triplo voluminosior, ut in talibus facile est addere, et ipsa jam Sec. XV. typis prodiit *s. l. et a.* f. Vide et *Cod.* CCCIII.

VIII. *fol.* 261. *Incipit tractatus de discretione spirituum.* Initium: *Sicut in philosophia motus et operaciones referri consueuerunt ad formas tamquam ad principia mediatiora* &c. Finis: *nisi solo impossibilitatis freno posse retineri.* Tractatum hunc tribui video *Henrico de Langenstein de Hassia Viennensis* Gymnasii Plantatori ✠ 1397. cum a *Gesnero* in *Bibl.* ubi ait msptum fuisse apud *Matb. Dresserum*, tum a *Corn. Dielmanno*, qui eum *Antverp.* 1652. 8. una cum Tractatu *de Instinctibus Henrici de Vrimaria* edidit. Ita etiam duo hi Tractatus, et prior quidem *Henrici de Hassia* nomine diserte insignitus, conjuncti *Cod.* XC. occurrerunt.

IX. *fol.* 269. *Incipit tractatus de occultatione Vitiorum.* Adjecit alia manus: *vlgariter von dem schalk vnd den vechsen.* Tractatus hic superiori conjunctus in *Catal. Codd. Bibl. Paulinae Lipsiae* impresso 1686. p. 195. tribuitur *Henrico de Vrimaria* O. Erem. S. Aug. Scriptori Sec. XIV. Saxoni, de quo post *Trithemium*, *Oudinus*, *Fabricius*, *Ossingerus* in *Bibl. Ord.* p. 952. Incipit: *Est via que videtur homini recta* &c. *Quia secundum gregorium in moralib. multa sunt vicia que sub virtutum specie se occultant* &c. Finit vero: *cordis lasciviam a cordis hospicio poterimus extirpare Quod nobis Deus prestare dignetur Amen. Explicit Tractatus bonus et vtilis de occul-*